



13
1749, 1 14

D. IO. FRIDERICI EISENHARTI

ORD. IURISCONSULT. IN ACAD. IVLIA CAROLINA

ADIVNCTI

DE

P 500

EO QUI TRISTIA NVNCIAVIT
QVO MINVS QVIS IVDICIO SE
STITERIT

PROGRAMMA

LECTIONIBVS PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDIS

FRÆMISSVM.

HELMSTADII TYPIS DRIMBORNIANIS

MDCCLXXXVIII.



D. JOHANNES FRIDERICUS BERENHARTI

PHYSICUS ET CHIRURGUS IN ACADEMIA CAESAREA

ADVENTU

ET

FOURTH PARTIAL INVENTION

QUO MINUS QVIS IUDICIO SE

STITERIT

PROGRAMMA

LECTURAE PER SEMESTER AESTIVUM HABENDIS

IN

HEIMSTADT FINE DEUTSCHLANDIS

MDCCLXXXVIII



Handwritten marks or numbers on the right edge of the page, possibly indicating a page number or a specific reference.



DE
EO QUI TRISTIA NVNCIAVIT
QVO MINVS QVIS IVDICIO SE STITERIT.



Permissam fuisse apud Romanos ex LL. XII. tabularum violentam in ius vocationem, quae obtorto collo fiebat, si aduersarius in ius vocatus, sequi nollet, neminem latere potest. a) Eleganter ritum istum certe describit HORATIVS hisce versibus: b)

*Casu venit obuius illi
aduersarius : Et quo tu turpissime : magna
exclamat voce, Et licet antestari ? ego vero
oppono auriculam : rapit in ius, clamor utrimque
vndique concursus.*

Quamuis autem haec omnia eo tendebant, ne iudicia eluderentur ; tamen saepius factum est, vt in ius vocati, ab aliis aut vi eximerentur, aut cum die dicto iudicio se sistere vellent, dolo alterius impedirentur, quo minus iudicio se stiterint, immo ipsi in ius vocati aliorum auxilium implorabant, vt eis subuenirent, ceu apparet ex PLAVTO, c) apud quem LABRAX leno a Pseudippo in ius vocatus, Charmidem ita alloquitur :

*Obsecro subueni mi Charmides
rapior obtorto collo. CH. quis me nominat ?
L. Viden' me vt rapior ? CH. video Et inspecto lubens
L. non subuenire mihi audes ? CH. quis homo te rapit ?
L. Adolescens Pseudippus.*

Cuius itaque nequitiae coercendae gratia praetor varia edi-

A 2

Et

a) Ita enim LL. XII. tabb. sancitum erat : SI VIS VOCATIONI PVAT, ANTESTAMINOR : NI IT, AVREM CAPITO ANTESTATE SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDOIACITO,
b) *Sermon, Lib. 1, Sat. 9. v. 74-seq.* c) *In Rudente.*

cta propofuit, vt partim metu poenae eos compefceret, qui in ius vocatos vi eripuerunt, a) partim dolum eorum coeceret, qui aliquem impediuerunt, quo minus iudicio feftiterit, b) fiue ipfi in ius vocatum impediuerint, fiue concurfu moto id factum fuerit, quod faepius contingebat. c) Haec autem omnia eo directa erant, vt in ius vocatus veniret & litem perfequeretur. Varii autem fuerunt modi, quibus in ius vocati vi eximebantur, aut enim quis in iudicium venientem vi eripiebat, aut vi eximebat, aut dolo, quaenam vero inter eos fuerit differentia, paucis ostendere lubebit. Primum edicto fuo metu poenae compefcere praetor eos voluit, qui in ius vocatos vi eripiunt, quod vt PAVLVS d) fcribit; idem eft ac *de manibus auferre per raptum*, deinde praetor ne quis in ius vocatum vi eximat, vetat, eximere autem denotat: *quoquo modo auferre vt puta fi quis non rapuerit quem, fed moram fecerit, quo minus in ius veniret, vt actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur: videbitur exemiffe, quamuis corpus non exemerit. Sed & fi eo loci retinuerit, non abduxit.* e) Immo quamuis quis per calumniam in ius vocatus fuerit; tamen is qui vi eum eximebat, hoc edicto tenebatur, f) exceptio tantum erat in iis perfonis, quae ob reuerentiam ipsis debitam in ius vocari non poterant. g) Tandem eos puniri iubet praetor, qui dolo quosdam exemerunt. Dolo autem ab VLPIANO exemiffe dicitur, *non tantum is, qui fuis manibus, vel per fuos retinuerit: verum qui alios rogauit, vt eum detinerent, vel abducerent, ne iudicio fifat: fiue fcientes, fiue ignorant, quid efferet, quod comminifceretur.* h) Vi itaque eximebatur is, qui in iudicium vocabatur; dolo autem, qui iudicio fe fiftere voluit, cum antea in ius iam

Voca-

a) L. 1. pr. D. ne quis eum qui in ius vocabit. vi exim.

b) L. 1. pr. D. de eo per quem fact. est, quo minus quis in iudic. fifat.

c) L. 4. pr. D. Ad L. Iuliam de vi priuata.

d) L. 4. pr. D. Ne quis eum qui in ius vocab. vi exim.

e) L. 1. eod.

f) L. 1. §. 1. eod.

g) L. 1. §. 2. eod.

h) L. 1. §. 1. D. De eo per quem factum erit, quo min. quis in iudicio fifat.

vocatus esset. Ne vero hoc quis auderet & in ius vocatos vel venientes vi doloue eximeret, praetor edicto suo actionem in factum proposuit, hac tamen differentia, vt contra vi eximentem competeret, etiamsi dolus cessaret, a) dolo autem eximens tantum praestaret, quantum actoris interfuerit, reum in iudicium venisse. b)

Quantis autem artibus nequitiasque vsi sint ii, qui dolo ad ius venientes eximebant, vix dici potest, inprimis non raro tristia illi nunciare solebant, qui in ius venientes dolo eximere voluerunt, probe animaduertentes, tale quid in mentibus mortalium maximam vim atque efficaciam habere. De hoc igitur casu VLPIANVS loquitur, cum dicit: c) *dolum autem malum sic accipimus, vt si quis venienti ad iudicium aliquid pronunciauerit triste, propter quod necesse habuerit, ad iudicium non venire, teneatur edicto, quamuis quidam putent, sibi eum imputare, qui credulus fuit.* Satis ex his verbis apparet, hoc edictum ad eum quoque extendendum esse, qui dolo malo triste quid denunciauit, quod in venientis animo tantum effecit, vt ideo ad iudicium non venire necesse habuerit, velut si quis ei, mortem filii, vxoris, aut domum conflagrasse aut alium tristem euentum denunciauerit. Remouet simul Iureconsultus nosster omnia dubia, quae ei, cui quid triste nunciatum fuit, obesse possent, quod scilicet credulus fuerit, quae credulitas ipsi imputanda esset. Ad Stoicorum doctrinam respexisse videntur, cui ipse deditus erat, qui sapienti viro, id vitio vertebant, si credulus esset, & mentis constantiam in omnibus rebus prout euenirent, affectabant. Stoici enim a viro sapiente hoc postulabant, vt nullo casu tristiori animum suum commoueri pateretur, sed constanti animo omnia ferret, ita vt, quamuis ea sentisceret iisque moueretur, tamen reiceret nec permoueretur, vt ea sibi vindicare possset, quae SENECA d) habet: *non sum imperata factu-*

a) L. 3. §. D. de quis enim.
 ● L. 1. §. 2. D. de eo per quem.

b) L. 3. pr. D. de eo per quem.
 d) Ep. L. 1.

facturus, iugum non recipio: immo quod maiore virtute faciendum est, excutio. Non est emolliendus animus, si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati. Dici enim potuisset, neminem tam credulum esse debere, ut tristitia ipsi denunciata statim credat, sed potius eum sibi recte imputare, quod credulus fuerit, & se decipi passus sit. Sed non sine ratione triste nunciantem hoc edicto teneri monet, VLPIANVS, si dolo id fecerit. Quamuis enim elargiamur credulum leuem committere culpam, cum etiam alioquin credulitas noceat; a) fecus tamen hic se res habet, ubi de dolo agitur, quem credulus committere dici nequit, cum credulitas ex ignorantia sola proficiatur, dolum verum committit is, qui tristitia nunciauit, cuius coercendi causa, praetor edictum suum proposuit, quare etiam recte actione in factum conueniri potest. Indulgendum itaque esse hoc in casu naturae humanae VLPIANVS iudicauit, si quis re tristiori sibi nunciata, cum ad iudicium venire voluerit, non venire necesse habuerit. Humanam enim naturam is Iureconsulto nostro exuisse videbatur, qui denunciata sibi dulcissimae coniugis aut suauissimi filii morte non commoueretur, quae res tamen ita comparata est, ut alias animum magnum & ad omnes casus ferendos paratum & constantem, perturbare ac summo tristitiae gradu adficere possit.

Videamus nunc qua ratione agendum fuerit, cum eo, qui triste quid ad iudicium venienti nunciauit. Diuersi hic distinguendi sunt casus, aut enim reo triste quid nunciabatur ab aliis, quo actionem suam amitteret actor, & reus interim dominium rei in litem deductae adquiret, aut ab actore ipso. Quod igitur ad actorem attinet, imprimis ei actio, in factum aduersus impediendum competebat, ut is quanti eius interfuerit, reum sisti, praestaret. b) Immo si plures dolo quid triste nunciarunt, aduersus

a) L. 3. §. 9. de in rem verso.

b) L. 3. D. de eo per quem fact.

fus omnes agere potuit, ita tamen, vt, si vnus praestiterit poenam, caeteri liberarentur, cum amplius nil interfit. a) Magnam hic simul animaduertimus differentiam, inter eum qui vi & eum qui dolo exemit, siquidem vi eximentes duriori poena adfecti sunt, ita vt in singulos in solidum actio institui poterit, cum interea in ius vocatus nihilominus obligatus maneret, b) dolo autem eximentes ad satisfactio- nem priuatam tantum obstricti erant. c) De altero casu, si reus dolo actoris non steterit, veluti si is reo vel ipse triste quid nunciauit vel per alios nunciari iussit, leges ita disponunt, vt reus actorem huius causa conuenire nequeat, cuius rei rationem VLPIANVS nobis reddit, d) *quod eius non interfit, cum actori exceptionem ex hoc edicto opponere possit.* Caete- rum, si reo a pluribus triste quid nunciatum fuerit, iterum aduersus eos ex hoc edicto agere potuit, ita tamen vt reli- qui liberarentur, si vnus poenam praestiterit. e) IURECON- SVLTVS de mera satisfactioe priuata loquitur, sed ele- ganter eam poenam dicit, respectu rei ad quem inde nihil peruenit, quod impeditus fuit, quo minus in iudicium venire & aduersus actionem actoris se defendere potue- rit, cum interea quod se non steterit iudicio, pro confes- so declaratur. Dura nimis videri potest, haec praetoris constitutio qua tam seueris legibus nequitiam triste quid nunciantis coerceri voluit, vt id restituere teneatur, quan- ti interfuerit actoris. Sed non est, quod eam duram & aequitati aduersam pronunciemus, cum ipsa aequitate ni- tatur, cuius rei rationem IULIANVS ostendit. f) Magni enim damni rationem habuit, quod actori euenire potest, si reus in iudicio non steterit, cum interea actio praescri- beretur, aut actor ius suum amitteret, aut reus aliquid acquireret. Ne vero actor damno adficeretur, praetor ipsi actionem restitutoriam aduersus reum dabat, si nempe nun-

a) L. c. §. 4. cod.

b) L. 3. §. 2. ne quis eum.

d) L. 6. §. 7. cod.

c) L. 1. §. 4. D. de eo per quem fact.

e) L. 1. §. 4. D. cod.

f) L. 3. pr. D. cod.

nuncians plane non esset soluendo, a) quia alias reus alienum lucrum faceret; Exspirabat itaque actio, quam aduersus reum actor antea instituit, & nunciantem solum sequi tenebatur, sed regressus aduersus reum ei patebat in casu, si reus non soluendo erat, id non solum IULIANO aequum visum est, verum etiam cum regulis iustitiae conuenit, quae non permittunt, ut quis cum alterius damno locupletior fieri debeat. b)

De heredibus quoque dicendum est, tam eius cui quid triste nunciatum fuit, quam illius qui in ius venienti triste quid nunciauit. Mentionem eorum VLPIANVS noster fecit. c) Heredes vero ad restituenda ea quae ex delicto vel dolo defuncti ad eos peruenerunt, obligatos esse, leges inter se conspirant, d) Iureconsultus noster de iis haec tradit: e) *Et heredi datur, sed non ultra annum. Aduersus heredem autem, hactenus puto, dandam actionem, ut ex dolo defuncti heres non lucretur.* Aduersus heredes eius cui triste quid nunciatum est, haec actio post annum praescribitur, descendit enim ex delicto, f) adeoque videndum est, quomodo cum nunciantis heredibus agendum sit. Tunc autem hoc edicto heredes nunciantis teneri dicit VLPIANVS, si ex dolo defuncti ad eos aliquid peruenisset, si nempe reus rem, quae in litem deducta erat, adquisiuisset. Longe aliter autem se res habet, si ad eos nihil peruenit, si forsan non lucri & commodi causa, sed ex malitia aut nequitia venienti ad iudicium quis triste quid nunciauerit, ubi non indistincte actionem in factum aduersus eos competiisse dicendum erit, quia lex eos expresse liberat, & de solo casu loquitur, si quid lucrati essent. In hoc itaque casu cum vadibus agendum fuisse arbitror, quamuis actio praescripta fuerit

a) L. 1. §. 1. eod.

b) L. 206. de R. I.

c) L. 1. §. 6. D. de eo per quem fact.

d) L. 17. pr. & §. 1. L. 28. D. de dolo male.

e) L. 1. §. 6. D. de eo per quem fact.

f) L. 2. §. 27. D. de honor. rapt. L. 1. pr. D. de Calumn. L. 1. C. de iniur.

fuerit, hoc enim auctori nocere non debuit, quod in ius venienti triste quid nunciatum est, quod credulus fuit & ad iudicium non venire, necesse habuit. Vadimonium enim promittebatur, cum aliquis formula praescripta certo tempore se spondebat praesentibus antestatis in ius venturum, vades autem rerum sistere certo die promittebant. a) Haec enim vera est cautio, quae iudicio sistendi causa apud Romanos in usu erat, de qua in primis tit. Digest. *qui satisfacere cog.* agit. Dabat vero praetor in fideiussorem, qui aliquem iudicio sisti promiserat, tantum, quanti ea res fuerat. b) Quoniam vero dolo nunciantis reus hic impediebatur, quo minus in iudicio stare posset, utique primum cum nunciantis heredibus agendum erat, si inde lucrum perceperunt. In eo enim, ut supra dictum est, leges consentiunt, quod iniusta ac turpia lucra ab heredibus semper restituenda sunt, quamvis alias actiones ex delicto ad eos non transeant. Iure meritoque igitur laudandus est VLPIANVS, qui aequitatis naturalis rationem hac in re secutus est, quae ut in omnibus, ita etiam potissimum hic locum habere debet, ubi de restituendo damno agitur. Solus igitur dolus morte nunciantis exstinguitur, non vero auctoris ius, qui iniustum lucrum ab eius heredibus actione in factum extorquet.

Magnum profecto prudentiae praetoris exemplum ea praebent, quae de poena in eos, qui tristia in ius venientibus nunciarunt, proposita, adduxi. Videtis ex his, COMMILITONES AESTVMATISSIMI, quantae fuerint hominum nequitiae atque calliditates quibus ad iudicia irrita & inania reddenda usi fuerunt, quam prouida etiam fuerit praetoris sapientia, qua eas coercuit, & auctoritatem iudiciorum seruauit. Sed praeter eum, de quo disputauimus, casum, alii plures dari possunt, in quibus

a) Conf. RAEVARDVS in comment. ad LL. XII, tab. 6, 6.
 b) L. 2. §. 5. D. *Qui satisfacere cogant.*

bus triste quid nunciando quis peccare potest, quod exemplis quibusdam illustrare iuuabit. Fieri enim interdum potest, vt is, qui triste quid nunciauit, poenam publicam mereatur. Si eo publica tranquillitas turbata sit, aut reipublicae ingens damnum illatum. Huc inprimis pertinet is, qui, cum triste quid nunciauit, effecit, vt inde turba facta sit. Quodsi enim ille qui aduentu suo turbam concitauit, poenam publicam incurrit; a) multo magis is puniendus erit, qui triste quid nunciando turbae occasionem praebuit, ex qua postea in alios magnum redundauit damnum. Immo nullus dubito, quin edictum praetoris de eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat, ad eos quoque extendendum esse, cum GOTHOFREDO b) putem, qui exercitui triste quid nunciarent, vt fugam faciat & imbellis fiat. Omnes enim L. Iulia maiestatis criminis laesae maiestatis reos declarat, quorum dolo malo factum est, vt hostes in potestatem populi Romani non uenerint. c) Nemo certe erit, qui dubitare velit, quin in hisce casibus triste quid nunciens atrocior poenam subire, & reipublicae, cuius salutem & tranquillitatem violauit, satisfacere teneatur.

Facile plura exhibere possem exempla, ex quibus appareret, qua ratione quis triste quid nunciando aliis damnum inferre possit, si pagellae huius limites id permitterent. Ecquis est, qui omnes hominum malitiosorum nequitias & fraudes recensere valeat, quas adhibendum damnum aliis inferendum, meditantur. Sufficit enim, quod non impune ferendae sint, neque illi imputandae, qui credulus fuit, sed vt VLPIANO iudice iustas malitiae suae poenas persoluant.

Sed quorsum haec tam longa oratio spectat, aliquis mihi obiecerit? quod de argumento disseruerim, cuius hodie

a) L. 4. D. Vi bonor. raptor.

b) In not. ad L. 1. §. 2. de eo per quem fact.

c) L. 4. D. Ad L. Iul. Maiest.

⦿) ○ (⦿

II

hodie in nostris foris plane nullus usus est. Lubenti certe animo fateor, hodie praetoris edicti, quod paucis illustravi, nullum superesse usum. Neque enim hodie ingens damnum ex tali impedimento oriri potest, a) neque generalis, qua hodie dolum vindicamus, actio cum actione hoc edicto proposita coincidit. Quamvis autem hoc facile elargiar; id tamen certissimum semper manebit, non inanem esse operam nostram, quam explicandis & illustrandis veterum legibus ac moribus impendimus, quae res quanta sit utilitate quantaque iucunditate, omnes testantur, qui in eis inuestigandis operam suam collocarunt. Recte iudicat Seneca: *multum, inquit, egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: multum adhuc restabit; neque ulli nato post mille saecula praecidetur occasio aliquid adhuc adiucendi.*

Mittam igitur tristiorum rerum nuncium, eaque, quae de illo praeterea dicenda haberem, praetermittam. Laetiora Vobis a me nunc annuncianda sunt, COMMILITONES AESTIVMATISSIMI, lectionum nempe aestiuarum auspiciis ac ratio, quas ad Vestrum discendi ardorem sustentandum, hoc semestri in alma IULIA CAROLINA instituiam. Quod cum facio, non possum non, Vobis gratias agere & habere maximas, quod elapso semestri hyberno lectiones a me habitas, frequentia Vestra assidua cohonestare non dedignati estis, quae res mihi magno est incitamento, ut omne meum studium Vobis Vestrisque studiis consecrem. Spero itaque fore, ut quoque per semestrem aestiuum scholas a me aperiendas non minus frequentaturi sitis, cum omnes, qui a me suscipiuntur labores, Vobis destinati sint. Erunt autem sequentes:

I) Publice hora VIII-IX titulum digestorum de diuersis regulis iuris explicabo.

II) Priuatim hora VIII-X Institutiones Iustinianae ex antiquitate & historia iuris illustrabo.

III)

a) STRYCK, in V. M. tit. de eo per quem fact. §. 2.



III) Hora XI-XII elementa iuris germanici celeberrimi Pütteri exponam.

IV) Hora II-III historiam iuris Romano-Germanici secundum delimitationem Bayerianam, tradam.

V) Hora III-IV ius feudale duce Schiltero denuo auspicabor.

Praeterea quo iis quoque satisfaciam, qui in arte disputandi se exercere cupiunt, singulis Saturni diebus huic exercitio horam destinavi. Theses ex iuris vniuersi partibus depromtas ad disputandum Vobis proponam. Omnium vero harum lectionum auspiciis Deo fauente die XXVIII Aprilis facturus sum.

Hi igitur sunt, COMMILITONES AESTVMATISSIMI, labores, quibus quo studiis vestris inferuiam, per hosce sex menses occupatus ero. Nil restat quam vt Deum O. M. precibus quam ardentissimis implorem, vt eos ex voto succedere iubeat, nobisque omnibus clementia sua adesse velit.

Seruet inprimis SERENISSIMVM AC CLEMENTISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM NOSTRVM, DOMINVM CAROLVM, DVCEM BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM, ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE RECTOREM AC NVTRITOREM MAGNIFICENTISSIMVM INDVLGENTISSIMVM, EIQVE omnia ad vota fluere iubeat. Seruet cum eo CELSISSIMAM AC SERENISSIMAM CONIVGEM e regia stirpe natam, & vniuersam AVGVSTAM DOMVM GVELFICAM, EIVSQUE gloriam ab antiquissimis retro saeculis & bello & pace paratam in dies augeat.

Seruet ac protegat PVRPVRATOS in aula Guelfica, MAECENATES nostros venerandos, eisque omnia fausta largiarur.

Seruet denique almam IVLIAM CAROLINAM bonarum artium ac disciplinarum nutricem optimam, eamque laetissimas semper rerum vicissitudines sentire iubeat. Dabam in Academia Iulia Carolina ad d. XXV. Aprilis MDCCXXXVIII.



Helmsedt, Diss., 1748-49

ULB Halle

3

005 350 832







12

1749,1 / 14

D. IO. FRIDERICI EISENHARTI

ORD. IVRISCONSULT. IN ACAD. IVLIA CAROLINA

ADIVNCTI

DE

EO QUI TRISTIA NVNCIAVIT
QVO MINVS QVIS IVDICIO SE
STITERIT

PROGRAMMA

LECTIONIBVS PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDIS

FRAEMISSVM.

HELMSTADII TYPIS DRIMBORNIANIS

MDCCXXXVIII.

